

axop. H.  
56,36<sup>m</sup>



**Programm**  
des  
**Gymnasiums zu Zwickau,**  
womit  
**zu den öffentlichen Prüfungen**  
*am 29. und 30. März*  
und  
**zu dem Translocationsactus**  
*am 1. April*

ergebenst einladet

der

Director

**M. Franz Eduard Raschig.**

---

Voran geht eine kritische Untersuchung über einige Stellen  
aus Platon's Philebus von *Dr. Carl Immanuel Klitzsch.*

---

**Zwickau,**

Druck von ZÜCKLER (Firma: Höfer'sche Buchdruckerei).

**1841.**



1841

PROGRAMM

des

Gymnasiums zu Zwickau

womit

zu den öffentlichen Prüfungen

am 20. und 21. März

und

zu dem Transitionsexamen

am 1. April

erhalten wird

von

Director

M. Franz Schmidt besichtig.

Form und Inhalt der öffentlichen Prüfungen ist durch die  
den öffentlichen Prüfungen zu Zwickau am 1. April 1851

Zwickau

Druck von Neumann, Neudamm, bei der Buchdruckerei

1851

Quem Philebi nomine inscripsit Plato dialogum, in quo gravissimam de summo bono quaestionem instituit, eum inter omnes quos composuit difficillimum habendum esse, id jure qui in Platonis dialogorum studio atque cognitione versantur contendere videntur. Quas enim habet difficultates, eas non in ipsius solum argumenti ratione, sed maxime in singulis locis atque vocabulis positas esse constat. Itaque non defuerunt, qui nostris temporibus primum quomodo omnia inter se cohaerent quae ratione dicta essent accurate explicare studerent; deinde vero de significatione etiam singulorum vocabulorum deque difficiliorum locorum interpretatione exponerent. Inter quos prae caeteris nominandus videtur Godofredus Stallbaumius, qui quum omnino de Platonis scriptis optime meritus esset, tum in Philebo maxime operam suam studiose consumpsit. Sed quantumvis Vir Doctissimus in singulorum locorum explicatione elaboraverit, ipse tamen quo est et veritatis studio et animi integritate tantum abesse ingenue confessus est, ut rectam et emendatam habeamus Platonis orationem, ut multa etiam nunc esse intelligamus, quae jure quis recte an secus videantur dicta esse dubitare possit. Neque enim singula tantum vocabula corrupta esse atque alieno loco collocata videntur, sed totas etiam enunciationes ita comparatas esse videmus, ut quaeenam sit sub iis sententia subjicienda non appareat. Huc accedit, quod ne Imm. Bekkerus quidem, quem in perscrutandis antiquorum librorum scripturis summa cum diligentia versatum esse constat, tantum opera sua profecit, ut quorum antea locorum difficillima esset interpretatio, rectius nunc de iis iudicium fieri posse videatur. Unde factum est, ut multi hominum doctorum praeter Stallbaumium atque Schleiermacherum v. c. Heindorfius<sup>1)</sup>, Heusdius<sup>2)</sup>, Schützius<sup>3)</sup>, Baumgarten-Cru-

1) Specim. conject. in Plat. Sax. 1798.

2) Specim. crit. in Plat. Lugdun. Bat. 1803.

3) Lectt. Platon. Particul. 2. 3. 4. Jen. 1790.

sius<sup>4)</sup>, Astius<sup>5)</sup>, alii, in hoc potissimum dialogo studium suum operamque collocarent, ita tamen, ut quoniam in difficillimis maxime locis codicum quos appellant auxilio se destitutos esse videbant, conjecturis tantummodo quaenam sententia esset Platonis assequi studerent. Quas quidem conjecturas quum maximam partem ita comparatas esse videremus, ut non injuria quis de iis magnopere dubitare possit: nostram quoque de aliquot Philebi locis sententiam hac scribendi opportunitate data expromere nobis visum est. Qua in re duplicem rationem sequuti sumus. Primum enim codicum scripturas, ubi recte omnia videbantur dicta esse, ab hominum doctorum conjecturis defendere conati sumus; id quod in plerisque locis factum est. Deinde vero in iis locis, in quibus aut singula verba vel corrupta vel alieno loco posita, aut omnino vitiose quid dictum oratioque non recte conformata esse videbatur, ipsi quoque, ubi codices nihil suppeditarunt, ex quo probabile quiddam efficeretur, conjectura aliqua, quid a Platone scriptum fuisset, consequi studuimus. Per transpositionem vero quam vocant vocabulorum in quatuor tantum locis (p. 17. A. C. p. 22. A. p. 45. A.) orationem nobis emendavisse visi sumus. Quo in genere quamquam cautio quaedam adhibenda est, ne quid celerius alio loco collocemus, saepe tamen factum est, ut in suum locum vocabula restituerentur. Quo difficilius autem in tota arte critica factitanda iudicium de eo est, quid scriptum ab aliquo fuerit, eo magis hac ipsa re nos excusatos volumus, si quid minus recte a nobis expositum esse videatur.

Pag. 12. E. Καὶ γὰρ χρώμα, ὃ δαιμόνιε, χρώματι κατὰ γε αὐτὸ τοῦτο οὐδὲν διοίσει τὸ χρώμα εἶναι τὸ πᾶν· τὸ γε μὴν μέλαν τῷ λευκῷ πάντες γινώσκόμεν ὡς πρὸς τῷ διάφορον εἶναι καὶ ἐναντιώτατον ὃν τυγχάνει.

Quaeritur, utrum h. l. post χρώματι vocabulum interpungendum sit an reliqua verba usque ad τὸ χρώμα εἶναι τὸ πᾶν cum prioribus καὶ γὰρ χρώμα, ὃ δαιμόνιε, χρώματι cohaereant. Stallb. quidem e praecedenti oratione ὁμοιότατον ἂν εἴη repetendum et post χρώματι colon ponendum esse existimat,

4) De Philebo Platonico. Lips. 1809.

4) In Diariis litterariis Jenens. N. 195. a 1822.

ita ut reliqua verba per asyndeton quod vocant addita et explicationis causa interjecta esse putanda sint. Sed quamvis probe sciamus, saepe a Platone ἀσυνδέτως orationem conformari: ab hoc tamen loco istam rationem alienam esse arbitramur. Nam primum pro καὶ γάρ particulis dici potius exspectes: πῶς γὰρ οὐ, ita ut post χρώματι vocabulum interrogationis signum ponendum atque ὁμοιωτάτων ἐστὶ e superioribus repetendum sit; id quod saepe apud Platonem fieri videmus. Sed vel tum reliqua verba ἀσυνδέτως addita incommodi quid habent, quoniam nihil aliud continent, nisi quod modo dictum erat. Deinde vel ipsae καὶ γάρ particulae aliter conformari sententiam indicare videntur. Itaque si haec omnia usque ad τὸ πᾶν cohaerere statuimus, multum accuratius et gravius definiuntur quae probanda sunt. Caeterum hoc loquendi genus Platoni satis usitatum est et tum habet maxime locum, ubi gravius quis et accuratius aliquid definire vult. Cf. Auct. Min. p. 313. A. Τί δέ; ἔστιν ὃ, τι διαφέρει νόμος νόμου καὶ αὐτὸ τοῦτο κατὰ τὸ νόμος εἶναι; Rep. IV, p. 435. B: Καὶ δίκαιος ἄρα ἀνὴρ δικαίας πόλεως καὶ αὐτὸ τὸ τῆς δικαιοσύνης εἶδος οὐδὲν διοίσει. Eodem modo Stallbaum, post ταῦτόν in seqq. distinguit, ita ut ὁμοιωτάτων εἶη rursus e superioribus intelligendum sit. Sed ratio loci ostendere videtur, cohaerere haec omnia inter se: quo fit, ut multo facilius procedat oratio et quasi fluere videatur.

Pag. 14. B. Τὴν τοίνυν διαφορότητα, ἧς Πρωταρχε, τοῦ ἀγαθοῦ τοῦ ἐμοῦ καὶ τοῦ σοῦ μὴ ἀποκρυπτόμενοι, κατατιθέντες δὲ εἰς τὸ μέσον τολμῶμεν, ἀντὶς πῃ ἐλεγχόμενοι μηνύσωσι, πότερον ἡδονὴν ἢ ἀγαθὸν δεῖ λέγειν ἢ φρόνησιν ἢ τι τρίτον ἄλλο εἶναι.

Magna doctorum hominum dubitatio de ἐλεγχόμενοι vocabulo est, quod in omnibus codd. legitur. Quum enim pluralis quorsum referendus esset nescirent, in diversas partes abierunt. Varias autem illas conjecturas afferre longum est. Quaenam sententia loci sit non potest obscurum videri. Postquam enim Socrates in sapientia, Protarchus vero in voluptate summum bonum situm esse dixit, eo jam res adducta est, ut denuo rem explorandam esse uterque consentiat videndumque, an hac ratione appareat, utrum sapientia an voluptas an tertium quiddam in summo bono collocandum sit. Et Heindorf. quidem spec. crit. p. 20. ἐλεγχόμενω i. e.

τὸ ἐμὸν καὶ τὸ σὸν scribi vult: quae conjectura quamvis et facilis neque improbabilis sit, non tamen necessaria videtur esse; neque etiam improbabilis Stallbaumii conjectura est scribentis: ἐλεγχόμεναί i. e. αἱ διαφορότητες. Sed tamen in librorum lectione mihi acquiescendum videtur. Quum enim jam paullo supra Socrates dixisset τὸ ἴσον τοῦ σοῦ τε καὶ ἐμοῦ λόγον ἀρέσκει μοι et paullo ante ὁ σὸς λόγος commemoratum omninoque id quod uterque ad disceptandum proposuerat λόγος appellatum esset: ἐλεγχόμενοι ita mihi dictum videtur quasi praecessisset: τὴν διαφορότητα τῶν λόγων. Idque eo probabilius est, quo saepius antea ὁ ἐμὸς λόγος et ὁ σὸς λόγος commemorata sunt, eoque minus habet offensionis, quo magis quis Platonem saepius ad ea quae cogitaverit quam quae dixerit spectare meminerit. Restat, ut de τολμῶμεν vocabulo pauca verba dicamus, quod h. l. non idem quod πειρᾶσθαι significare videtur, ut quidam statuere videntur, sed *tolerandi* potius significatione usurpatum esse crediderim; de quo usu quum Wyttenbach. ad Platon. Phaed. p. 273. et Jacobs. in Ath. p. 309. aliique dixerint, non est quod uberius exponamus. Quare recte Ficinus „feramus“ interpretatus est, quod jocosae quodammodo dictum est a Socrate; et recte quidem illud, quoniam uterque, et Socrates et Protarchus, suum bonum vincere vult neque tolerare, ut alterum ab altero superetur.

Pag. 15. B. Ὁ δὲ πάντων ἀδυνατώτατον φαίνοιτ' ἄν, ταῦτόν καὶ ἐν ἅμα ἐν ἐνί τε καὶ πολλοῖς γίνεσθαι.

Haec omnium codd. scriptura est, in qua Schleierm. olim offendit atque mihi etiā fuit quum non probaretur. Sed nunc quidem aliter de ea statuendum videtur et in vulgata lectione acquiescendum: quam quomodo posthac Schleiermach. explicaverit ignotum mihi est. Sed quoniam obscuritate quadam hic locus laborare videtur, non abs re esse puto paucis quomodo intelligendus sit exponere quidque docere voluerit Plato. Triplicem autem in constituendis ideis dubitationem oriri posse dicit; primum utrum *μανάδες* illae revera exstent; deinde utrum unaquaeque earum constanter una atque eadem maneat; denique, utrum illae per multas infinitasque res singulares dispersae sint, an unum manentes in multis insint. Jam illa verba ἐν ἐνί τε καὶ πολλοῖς γίνεσθαι Schleiermachero propterea offensionem fuerunt, quod h. l. duplex formula requiri videretur et ἐν εἶναι



et ἐν πολλοῖς γίγνεσθαι; deinde ἐν illud cum ταῦτον conjunctum mire dictum esse. Quae quidem difficultates omnes ita comparatae sunt, ut tolli posse videantur. Nam ἐν quidem consulto et recte cum ταῦτόν conjunctum est, quoniam id maxime dicendum est, aliquid unum esse simulque etiam idem; quare supra litt. A. ἐνάδες appellatae sunt; deinde recte etiam ἐν ἐνί videtur dictum esse; nam illud sane fieri non posse videtur, ut aliquid in uno simulque in multis sit. Itaque haec est quaestio proposita, utrum ἐνάς ejusmodi in multas partes dividi atque cum rebus infinitis ita conjungi queat, an una eademque manens et in unaquaque singula re et in multis rebus simul esse possit. Hoc quidem modo si locum interpretamur, recte se habere videtur libror. scriptura.

Pag. 16. A. Φειδόμενος οὔτε πατρός οὔτε μητρὸς οὔτε ἄλλου τῶν ἀκούοντων οὐδενός, ὀλίγου δὲ καὶ τῶν ἄλλων ζώων, οὐ μόνον τῶν ἀνθρώπων, ἐπεὶ βαρβάρων γε οὐδενός ἂν φείσαιο, εἶπερ μόνον ἐρημηέα ποθὲν ἔχοι.

H. I. ante φειδόμενος Stallbaumius οἱ particulam requiri dicit propter ὀλίγου δὲ καὶ etc. verba. Sed fateor me in eo non posse ei assentiri; etenim ex antecedd. φειδόμενος οὔτε etc. facile quis cogitando addiderit οὐ φειδόμενος. Idque hoc loco eo minus potest offendere, quo magis Platonem paullo alacrius, ut saepe solet facere, sententiam suam explicantem videmus. Quod quidem dicendi genus quum apud Platonem tum apud alios etiam scriptores deprehenditur. Sed aliud etiam h. I. restat, de quo dicendum videtur. Quae enim deinde sequuntur ἐπεὶ βαρβάρων γε etc. non recte Stallbaumius interpretatus esse videtur, quum restrictionem ea atque explicationem praecedentium continere diceret. Explicant quidem quodammodo, quoniam ἐπεὶ particula usurpata est; sed lepidum quiddam iis continetur, quod quoniam postremo loco collocatum est, maxime risum movet. Nam quum descriptio juvenis illius de inventione \*) sua superbe exsultantis omnino ad praesentis juvenes

1) Non potest obscurum videri h. I. inde ab his verbis p. 15. D. φημέν που ταῦτόν etc. duplex illud philosophandi genus describi, quod nostri philosophi et syntheticum et analyticum appellare solent. Cujus quidem generis auctor diserte commemoratur Plato a Diogen. Laert. III, 24. Cf. Aristot. Top. I, 1. I, 10. Analyt. I, 1.

illudendos facta sit (id quod e verbis statim sequentibus apparet: ἄρ', ὃ Σώκρατες, οὐχ ὁρᾷς ἡμῶν τὸ πλῆθος, ὅτι νέοι πάντες ἐσμεν καὶ οὐ φοβῆ, μή σοι μετὰ Φιλίβου συνεπιθώμεθα, εἴαν ἡμᾶς λοιδορῆς;): tum augent etiam haec verba vim sententiae. Dicit enim tantam esse illius juvenis cupiditatem atque laetitiam, ut barbaros adeo aggressurus esset, quo iram suam atque odium, quo eos persequi soleat, expleat et quanto plus sit aestimandus ipsique quam nihili habendi sint ostendat.

Pag. 16 D. Ἐὰν οὖν καταλάβωμεν, μετὰ μίαν δύο, εἴ πως εἰσί, σκοπεῖν, εἰ δὲ μή, τρεῖς ἢ τινα ἄλλον ἀριθμόν, καὶ τῶν ἐν ἐκείνων ἕκαστον πάλιν ὡσαύτως etc.

Hoc loco maxime offendit ἐν vocabulum Quare Schleiermach., qui durius sonare illud ἐν ἐκείνων et propter seqq. τὸ κατ' ἀρχὰς ἐν offensionem habere putabat, conjecit legendum esse ἐνότων ἐκείνων ἕκαστον, quod particip. jam in superioribus legeretur: εὐρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν. Sed primum paullo violentiorem esse puto hanc conjecturam, quod ad ipsa verba attinet; deinde ne opus quidem fuit ita scribere Platonem, quoniam per se intelligitur unumquodque horum inesse; de eo enim sermo est, unam semper notionem de quo agatur inesse debere. Schützi rationem legentis τὸ ἐν ἐκείνων non magis probare possum; displicet enim τὸ articulus, neque certum quiddam illorum indicatur, sed quodlibet, quodcumque est. Stallb. pro ἐν legi vult ἐξ, explicans: „*speciales notiones hac ratione erutae*“. Sed fateor displicere mihi ἐξ praepositionem; nam genitivus per se jam satis intelligitur. His expositis ego quid de hoc loco sentiam indicabo. Puto autem unitatis notionem, ut ita dicam, hoc loco quam maxime ponendam esse; etenim hoc quidem aperte vult dicere Plato: unam quamque illarum ἐνάδων rursus dividendam esse. Itaque valde mihi placet lenissima illa G. Hermanni conjectura, quam in Graeca olim societate proposuit, ἐνῶν; id quod huic loco maxime accommodatum est; nec offendet, opinor, quisquam in ipso vocabulo, quod id ipsum, quod h. l. requiritur alibique a Platone usurpatum est, dico ἐνάς vocabulum, significat.

Pag. 17. A. Οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἐν μὲν, ὅπως ἂν τύχωσι καὶ πολλὰ θάττον καὶ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος etc.

De καὶ πολλά verbis magnopere a doctis ambigitur. Nam quum de eo sermo sit, cavendum esse, ne,

quod a quibusdam fieri soleat, ab uno (ἀφ' ενός) statim ad infinitas res (τὰ ἄπειρα) transiliamus, neglecta multorum (τῶν πολλῶν) investigatione, sed ante omnia unum illud τὸ ἓν) investigandum esse, tum autem ad τὰ πολλά i. e. ad formas et partes generum descendendum; his autem accurate definitis fore, ut τὰ ἄπειρα i. e. res infinitae sive individuae in certum quendam ordinem redigi possint: apparet hoc quidem loco πολλά non commemoranda esse, quoniam illa ipsa inter τὸ ἓν et τὰ ἄπειρα jacent. Quare vario modo hunc locum emendare studuerunt. Et Schützius quidem καὶ πολλῶν, Dindorfius καὶ τὰ πολλά scribi voluit. Sed quid ista, e quibus nulla huic loco accommodata sententia effici potest? Praeterea Schützius βραδύτερον mutari vult in βραχύτερον eumque sequutus est Schleierm.; sed injuria. Nam si justo brevius τὸ ἓν ponunt, eo ipso etiam velocius id faciunt; est igitur idem quod θᾶττον, quod tamen Plato neque vult neque debet dicere. Nam sententia loci haec est: peccant in eo, quod illud ἓν, utcumque res secum ferunt, ponant idque ita quidem, ut modo velociore, modo tardiore via ad illud perveniant. Sed redeo ad καὶ πολλά verba, quae Stallb. ab alio quodam huc posita arbitratur, qui quum τὸ ἓν καὶ πολλά saepe conjuncta esse videret, hic quoque πολλά adjiciendum putaverit. Sed non possum mihi persuadere, adeo quemquam perverse judicasse, ut hic quoque πολλά addendum existimaret. Quare probabile, ne dicam certum esse videtur, alio loco haec verba olim collocata fuisse et quidem post τὰ δὲ μέσα. Qua transpositione facta τὰ μέσα accuratius explicantur τὰ πολλά verbis, quae hic quammaxime requiruntur. Nam τὰ μέσα idem significant quod τὰ πολλά. Cf. p. 16 D. Τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ιδέαν πρὸς τὸ πλῆθος μὴ προσφέρειν, πρὶν ἂν τις τὸν ἀριθμὸν αὐτοῦ πάντα κατίδη τὸν μεταξύ τοῦ ἀπείρου τε καὶ τοῦ ενός. Ejusmodi autem per transpositionem emendationes, si quis caute iis utatur, non spernendas esse, non est quod aliis etiam locis, qui extra omnem dubitationem videntur positi esse, demonstramus. Cf. G. Hermanni opusc. III. p. 99 sqq.

Pag. 17. C. φωνὴ μὲν που καὶ τὸ καὶ ἐκείνην τὴν τέχνην ἔστι μία ἓν αὐτῆ.

Duo sunt, quae h. l. vitiose videntur scripta esse, primum καὶ τό, deinde ἓν αὐτῆ. Totam autem loci

sententiam mire expressam esse intellexerunt jam Heindorf. et Schleierm. scribentes pro eo τὸ καὶ ἐκείνην τὴν τέχνην ἐστὶ καὶ ἐστὶ μία ἐν αὐτῇ i. e. vox illam artem constituit in eaque una tantam est. Sed recte jam Stallbaum. istam lectionem duri quid habere atque inusitati intellexit, ita tamen, ut ipse quid a Platone profectum esset in dubium relinqueret. Vitium autem non solum in ἐν αὐτῇ verbis latere, sed etiam καὶ τὸ verba ab hoc loco aliena esse dixerim. Nam quid hoc est: φωνὴ ἐστὶ καὶ τὸ καὶ ἐκείνην τὴν τέχνην μία? Nulla videtur inde probabilis sententia oriri. Itaque aut τὸ abjiciendum est, aut μία. Sed apparet μία vocabulum requiri, quoniam vis est in eo. Quare τὸ καὶ verba ejicienda esse puto, quae non leguntur in optimo cod. Bodlej. duobusque aliis Bekkeri Δ. Π. signatis. Facile enim oriri poterant ex κατὰ praepositione. Sed restant ἐν αὐτῇ verba, quae huc non pertinere satis manifestum est, et excidisse quaedam propterea non est probabile, quoniam sententia per se videtur recte procedere. Itaque rursus ad transpositionem confugiendum videtur, ita ut haec verba post θῶμεν in sqq. collocanda esse existimemus. Hic enim suo loco videntur posita esse. Nam illud maxime requiritur, ut dicatur, quamam in re tria illa τὸ βαρὺ, τὸ ὀξύ, τὸ ὁμότονον ponenda sint. Idque eo probabilius est, quo facilius librariorum oculis ad alia vocabula aberrasse notum est.

Pag. 18. B. Ὡςπερ γὰρ ἐν ὀτιοῦν εἴ τις ποτε λάβοι, τοῦτον, ὡς φάμεν, οὐκ ἐπ' ἀπείρου φύσιν δεῖ βλέπειν εὐθύς, ἀλλ' ἐπὶ τιν' ἀριθμὸν, οὕτω καὶ τοῦναντίον ὅταν τις τὸ ἀπείρον ἀναγκασθῇ πρῶτον λαμβάνειν, μὴ ἐπὶ τὸ ἐν εὐθύς ἀλλ' ἐπ' ἀριθμὸν αὐτὴν πλῆθος ἕκαστον ἔχοντά τι κατανοεῖν.

Describitur hic ea disserendi ratio, quae ab infinitis i. e. individuis rerum ad species et formas rerum explorandas descendat, donec ad genera, quibus et formae et individua comprehendantur, perveniat. Sed quae postremo loco posita sunt verba, ἀλλ' ἐπ' ἀριθμὸν αὐτὴν πλῆθος ἕκαστον ἔχοντά τι κατανοεῖν, ea interpretes uno ore corrupta esse dicitant. Longum autem est varias illas doctorum conjecturas afferre; itaque ad illud statim progrediendum videtur, ut, quibusnam in verbis vitium lateat et quomodo illud tollendum esse videatur exponamus. Ac primum quidem illud magno-

opere offendit, quod *κατανοεῖν* cum *ἐπί* praepositione inusitato quodam modo conjunctum est; hinc alii *κατασκοπεῖν*, alii *καπαβαίνειν* (Rep. VI. p. 511. C.) ut scriberetur proposuerunt; alii *δεῖ βλέποντα* ex antecedentibus repetendum esse dixerunt, quod quidem paullo longius remotum est; nam inde ab his verbis: *οὕτω καὶ τὸναντίον* etc. novum quid adjicitur. Deinde autem *πληθος ἕκαστον ἔχοντά τι* tam mire dictum est, ut vix ejusmodi quid a Platone profectum esse dicas. Numerus enim quem hic dicit jam per se multitudinem quandam singulorum individuorum continet. Itaque ego quidem in *ἔχοντα* participio aliud quid latere puto et quidem *ἴοντα*, ita tamen, ut *ἔχειν* vocabulum servemus totumque locum ita constituendum esse existimemus: *ἀλλ' ἐπ' ἀριθμὸν αὖ τινὰ πληθος ἕκαστον ἔχον ἴοντα* (deleto *τι* pronom.) *κατανοεῖν* i. e. progrediendum est ad multitudinem unamquamque, quae numerum quendam contineat eaque multitudo mente comprehendenda est. *ἴοντα* enim participium quam facile corrumpi potuerit in *ἔχοντα*, quivis, opinor, videbit; atque tum *ἐπί* praepositio rectissime se habet. Nam hoc modo Platonem saepissime loqui, ut *ἴεναι* cum ejusmodi vocabulis uti *κατανοεῖν* et similibus jungatur, non est quod multis exemplis demonstramus. Cf. p. 45. C. *Εἴ τις τὰς μεγίστας ἡδονὰς ἰδεῖν βούλοιο, οὐκ εἰς ὑγίειαν, ἀλλ' εἰς νόσον ἴοντας δεῖ σκοπεῖν.* At possit fortasse aliquis de sententia loci dubitationem movere. Sed vel ab hac parte nostra emendatio videtur commendationem quandam habere. Nam *πληθος* oppositum est *τῷ ἐνί*; *πληθος* autem quoniam etiam infinitum esse potest, adjecta sunt *ἀριθμὸν τινὰ ἔχον* i. e. multitudo, quae certis quibusdam finibus circumscripta sit, ut recte possit animo comprehendi. Eodem fere modo loquutus est Plato infra pag. 18. E. *Τοῦτ' αὐτὸ τοίνυν ἡμᾶς ὁ πρόσθεν λόγος ἀπαιτεῖ, πῶς ἔστιν ἐν καὶ πολλὰ αὐτῶν ἑκάτερον καὶ πῶς μὴ ἄπειρα εὐθύς, ἀλλὰ τινὰ ποτε ἀριθμὸν ἑκάτερον ἐμπροσθεν κέκτηται τοῦ ἄπειρα αὐτῶν ἕκαστα γεγονέναι.*

Pag. 21. R. *Ὅρα δὴ, τοῦ φρονεῖν καὶ νοεῖν καὶ λογίζεσθαι τὰ δέοντα, καὶ ὅσα τούτων ἀδελφά, μῶν μηδὲ ὁρᾶν τι;*

Quae postremo loco leguntur verba *μῶν μηδὲ ὁρᾶν τι* corrupta esse nemo non intelligit. Etenim satis mire illud, ne quid gravius dicam, expressum est: ne

*videre quidem quidquam illarum ingenii virtutum, i. e. prorsus iis carere, quemadmodum Baumgarten-Crusius interpretatur. Atque etiamsi joculari h. l. Socratem statueris, inusitato tamen quodam modo illud dictum est neque facile quis hujus dictionis exemplum proferat. Itaque valde probabile est, aliud quid in his verbis latere recteque jam Stallb. fortasse olim scriptum fuisse suspicatur: μῶν μὴ δέοι ἄν σοι. Sed puto facilius id emendari potuisse hoc modo: μῶν μὴ δέοι ἄν τι; eaque emendatio eo etiam probabilior est, quod paullo ante ἄρ' οὖν ἔτι τινὸς ἄν σοι προσδεῖν ηγοῖο dictum est et in seqq. πάντα γὰρ ἔχοιμ' ἄν που. Quodsi μῶν μηδὲ ὄραϊν τι Socrates vel simile quid dixisset, alio etiam modo Protarchum responsurum fuisse existimo.*

*Pa g. 22. A. Πᾶς δήπου τοῦτόν γε αἰρήσεται πρότερον ἢ ἐκείνων ὀποτερονοῦν, καὶ πρὸς τούτοις γε, οὐχ ὁ μὲν, ὁ δ' οὐ.*

Aliquid non recte h. l. dictum esse sensit jam Stallb, non tamen addidit, quamam in re id positum esset. Nam in adjectis οὐχ ὁ μὲν, ὁ δ' οὐ negationibus nemo, opinor, offendet, quum Graecos, ubi gravius quid vel affirmare vel negare volunt, id etiam per singulas partes vel affirmare vel negare solere notum sit. Cf. Phaed. p. 91. Theaet. p. 48. E. Crit. p. 47. A. Sed καὶ πρὸς τούτοις γε jure quis ab hoc loco aliena esse dicat. Astius quidem scribi vult πρὸς τούτοις ἔσται, huic deditus erit; sed fateor me non intelligere quid sibi velit ista horum verborum sententia; deinde autem ne Graece quidem dictum est, πρὸς τινὲ εἶναι alicui deditum esse, neque Schleiermacheri mentem perspicio. Itaque G. Hermannō assentior haec verba non suo loco posita esse rato. Quum enim in margine scripta essent, postquam ibi ommissa erant, ubi recte poni potuerant, alius huc collocavit, quum tamen in seqq litt. B. post μῶν οὖν ponenda sint hoc modo: μῶν οὖν καὶ πρὸς τούτοις γε οὐχ ἤδη etc. i. e. nonne etiam praeterea, quod neutrum illorum vivendi generum cuiquam exoptatum esse potest, etiam illud, quod ad ista pertinet, apertum est, utrumque non ita comparatum esse, ut summum bonum continere dici possit?

In seqq. φυτοῖς vocabulum Criticis offensionem fuit; quorsum enim plantas commemorare non apparere, quandoquidem τὰ ζῶα tantum voluptatem sentirent. Itaque Stallb. in append. Crit. ad Phileb. propterea plantas

commemorari dicit, quod his quoque sensum tribuat Plato. Cf. Tim p. 77. C. πάσχον γὰρ διατελεῖ πάντα, στραφέντι δ' αὐτῷ ἐν ἑαυτῷ περὶ ἑαυτό, τὴν μὲν ἔξωθεν ἀπωσαμένῳ κίνησιν, τῇ δ' οἰκείᾳ χρησαμένῳ τῶν αὐτοῦ τι λογίσασθαι κατιδόντι φύσιν οὐ παραδέδωκεν ἢ γένεσις, in quibus animantibus animam sane sensumque jucundi atque injucundi concessit, mentem vero rationemque habere negat. At mente opus est ad eligendam alterutram vitae rationem. Cf. pag. 20. D. πᾶν τὸ γιγνώσκον αὐτὸ θηρεύει καὶ ἐφίεται βουλόμενον ἐλεῖν καὶ περὶ αὐτὸ κτήσασθαι. Itaque Socratem φυτὰ de omnibus intellexisse puto, quae genita sunt atque vivunt, idque dixisse more suo, quem saepe apud Platonem deprehendimus, hyperbolica quadam ratione, quum omnino alteram vitae rationem, si bona esset atque perfecta, eligendam esse dicere vellet

Pag. 23. D. Τούτῳ δὴ τῶν εἰδῶν τὰ δύο τιθώμεθα, τὸ δὲ τρίτον ἐξ ἀμφοῖν τούτων ἐν τι ζυμμισγόμενον. εἰμὶ δ', ὡς ἔοικεν, ἐγὼ γελοῖός τις ἱκανῶς κατ' εἶδη δυστάς καὶ συναριθμούμενος.

Stallb. in ἱκανῶς vocabulo vitium latere existimat suadetque οὐχ ἱκανῶς ut legatur, quoniam id sequentia verba requirere videantur. Sed videtur tamen in librorum scriptura acquiescendum esse, non tamen ita, ut ἱκανῶς cum γελοῖός τις conjungamus, id quod sane non satis apte dictum esset. Sed aliud est, quod h. l. non satis accommodate dictum videri possit; dico illud κατὰ. Neque enim secundum genera, sed ipsa illa genera (τὰ εἶδη) τὸ πέρας, τὸ ἄπειρον, τὸ ζυμμισγόμενον enumerat. Itaque codicum vestigia sequens potius τὰ δ' scribendum esse putaverim. Nam Bodlej. et II et pr. Δ apud Bekk. τὰ τ' scripturam suppeditant. Jam vero si ἱκανῶς ea significatione usurpatum esse statuimus, qua alibi etiam Platonem usum esse videmus, ut idem significet quod καλῶς (cf. Crit. p. 47. A.) i. e. recte, ordine, uti decet: recte se sententia habere videtur hoc modo: „ridiculus vero videri possum, dum eo ordine quo debeant enumerari, haec genera divido atque enumerero“ Videtur autem propterea ridiculus esse, quod nondum haec genera explorata sunt; nam ex justa demum atque accurata investigatione apparebit, quot sint genera et quo ordine enumeranda. Haec autem non improbabiler disputata esse, videtur ex sequentibus patere. Dicit enim paullo post: οὐ μὴν οἶμαί γε ἐν τῷ

νῦν, ἐὰν δέ τι δέη, συγγνώσει πού μοι σὺ μεταδιώκοντι πέμπτον βίον.

Pa g. 25. D. Ἦν καὶ νῦν δὴ δέον ἡμᾶς, καθάπερ τὴν τοῦ ἀπείρου συνηγάγομεν εἰς ἓν, οὕτω καὶ τὴν τοῦ περατοειδοῦς συναγαγεῖν, οὐ συνηγάγομεν, ἀλλ' ἴσως καὶ νῦν ταῦτόν δράσει· τούτων ἀμφοτέρων συναγομένων καταφανῆς κακείνη γενήσεται.

Quae postremo commemorantur ἀλλ' ἴσως etc. ea ab alio quodam addita esse suspicatur Stallb., ita ut ex interpolatoris mente Plato ad δράσει intelligendus sit: accedere autem, quod ποῖαν καὶ πῶς λέγεις Protarchi responsionem quivis ad κακείνη, non ad τὴν γένναν πέρατος referat. Alii alia de h. l. protulerunt, quae tamen ita comparata sunt, ut nihil ex iis, quo rectius locum intelligamus, redundare videatur. Mihi quidem haec verba non videntur rejicienda esse. Neque enim tam ineptum esse quemquam putaverim, ut ejusmodi quid margini adscribat. Itaque δράσει ad τὴν τοῦ πέρατος γένναν referendum esse puto, ita ut haec sit verborum sententia: „sed fortasse etiam nunc, quamquam nondum eam accuratius pertractavimus, idem efficiet i. e. sese cum infinito conjunget atque commiscebit, ita ut tertium quoddam genus inde prodeat.“ Κακείνη autem apparet referendum esse ad ea, quae paullo supra leguntur p. 15. B. τὸ δὲ τρίτον τὸ μικτόν ἐκ τούτων ἀμφοῖν τίνα ιδέαν φήσομεν ἔχειν; Jam vero illud video doctos homines offendisse, quod Protarchi responsio, si recte haec verba posita viderentur, tum ad κακείνη referenda esset. Hoc autem non crediderim ex eo consequi. Protarchus enim nondum disertis verbis a Socrate audiverat finiti naturam intelligendam esse. Quare auditis demum τὴν τοῦ ἴσου etc. verbis μανθάνω respondet. Paullo inusitatus id a Platone dictum esse, facile concedam; sed non tanta laborant verba obscuritate, quantam plerique interpretes esse putaverunt. Neque enim iis assentior, qui si quid aut inusitatus aut obscurius aliquanto dictum videatur, ad conjecturas statim sibi confugiendum esse existimant. Quod si quis audaci quadam conjectura locum aliquem emendare studeat: quidni alius etiam in interpretando aliquo loco cum audacia quadam versari licere sibi putet?

Quae deinde sequuntur σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθείσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται, ea non recte intellexit



Schleiermacherus, quum ita interpretaretur: „welche durch Einbringung des Gleichmäßigen und Zustimmenden eine Zahl hervorbringt.“ Ἀριθμόν enim vocabulum conjungendum est cum ἐνθεῖσα participio. Sed quaeritur, quam significatione h. l. ἀριθμός vocabulum dictum sit. Et Stallb. quidem Baumgarten-Crusium sequutus quidquid definitum ac dispositum sit significare dicit (Ordnung und Bestimmtheit), afferens ex Epinom. locum p. 976. A sqq. In eadem opinione fuisse videtur Trendelenburgius in eo quem de Philebo Platonis conscripsit libello p. 8. quum Platonem Philolai praecepta sequutum „numerum idealem tacito nutu“ significare dicat. Sed ἀριθμός vocabulum h. l. propria significatione dictum esse vel ex superiore Socratis disputatione apparet. Dixerat enim p. 24. C. Ὅπου γὰρ ἂν ἐνῆτον (dicit τὸ μᾶλλον, τὸ ἥττον etc.), οὐκ ἔατον εἶναι ποσὸν ἕκαστον, ἀλλ’ αἰεὶ σφοδρότερον ἡσυχαιτέρου καὶ τούναντίον ἕκασταις πράξεσιν ἐμποιοῦντε τὸ πλεόν καὶ τὸ ἔλαττον ἀπεργάζεσθον, τὸ δὲ ποσὸν ἀφανίζετον. Accedit, quod, si istam Schleiermacheri rationem sequeremur, ἀριθμός idem significaret atque σύμμετρα et σύμφωνα vocabula. At utrumque et τὸ σύμμετρον et τὸ σύμφωνον e numero demum prodeunt. Itaque ne natura rei pervertatur, quoniam numerus τὰ πρὸς ἀλλήλα διαφόρως ἔχοντα exaequat, unde concentus prodit, ἐνθεῖσα cum ἀριθμόν conjungendum esse statuimus.

In iis quae sequuntur μιγνύς ταῦτα quid sibi velit non recte perspicitur. Itaque jam Heindorf. ἂν μιγνύης scribendum esse conjecit; Stallb. autem ἂν μίγνυς. Cf. Heindorf. de hac conjunctivi forma ad. Phaed. p. 94. Sed fateor grammaticam loci conformationem mirum quantum perturbari, quam Astius quidem in Ephemer. litter. Jen. a. 1822. N. 195. pag. 101. ita defendere studuit, ut per anacoluthiam quandam haec verba dicta esse contenderet pro: indem sie gemischt werden. Sed non facile quis hujus quidem dicendi generis exemplum proferat. Itaque levi mutatione μιγνύσι ταῦτα scribendum esse puto. Συμβαίνειν enim dativum requirit. Pro ἐπί autem praepositione in hisce: ἐφ’ ἐκάστων αὐτῶν, quoniam rectissime dicta videtur, nolim ἀπό quemquam scribere.

Pag. 26. A. Καὶ μὴν ἐν γε χειμῶσι καὶ πνίγεσιν ἐγγενομένη τὸ μὲν πολὺ λίαν καὶ ἀπειρον ἀφείλετο, etc. Πολύ vocabulum Stallbaum. explicationis causa ab

alio quodam additum esse contendit. Sed cuiusnam rei? Aliud enim *λίαν* est idque gravius etiam, aliud *ἄπειρον*. Quare admodum probabile ne dicam certum esse puto καί particulam excidisse, qua in suum locum post *πολύ* restituta accommodata huic loco gradatio erit. Cf. infra pag. 27. E. οὐ γὰρ ἂν ἡδονὴ πᾶν ἀγαθὸν ἦν, εἰ μὴ ἄπειρον ἐτύγχανε πεφυκὸς καὶ πλήθει καὶ τῷ μᾶλλον.

Pag. 27. D. Καὶ μέρος γ' αὐτὸν φήσομεν εἶναι τοῦ τρίτου, οἶμαι, γένους. οὐ γὰρ δυοῖν τινῶν ἐστι μικτὸς ἐκεῖνος, ἀλλὰ συμπτάντων τῶν ἀπείρων ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδεμένων, ὥστε ὁρθῶς ὁ νικηφόρος οἷτος βίος μέρος ἐκείνου γίγνεται ἂν.

Fieri interdum solet in interpretandis veterum scriptis, ut quae facilia ad intelligendum sint, ea difficultatibus laborare dicantur. Id autem in hunc quoque locum cadere videtur. Dixerat enim Socrates mixtam illam vitam ad tertium genus pertinere, quod genus ex τοῦ ἀπείρου καὶ τοῦ πέρατος mixtum esse vidimus p. 27. C. Jam illud offendit Criticos, quod οὐ γὰρ δυοῖν τινῶν ἐστι μικτὸς ἐκεῖνος dictum esset. Itaque, quoniam Socrates his verbis rationem redderet, curnam illa mixta vita ad tertium genus referendum esset, Schützius μικτὸν ἐκεῖνο scribi voluit, quod alii comprobaverunt. Sed hanc ipsam ob causam μικτὸς ἐκεῖνος verba, quae omnium codd. scriptura est, non mutanda sunt. Quoniam enim mixta illa vita ad tertium genus pertinet, non potest duorum quorundam esse (δυοῖν τινῶν), sed omnium eorum, quae ex infinitis per τὸ πέρας inter se conjunctis constant. Itaque recte deinde Socrates addit: ὥστε ὁρθῶς ὁ νικηφόρος βίος οἷτος μέρος ἐκείνου γίγνεται ἂν, quae verba alioquin plane supervacanea judicanda essent. Conclusio Socratis igitur ita se habet: mixta illa vita ad tertium genus pertinet (συμπτάντων τῶν ἀπείρων ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδεμένων). Itaque jure pars illius tertii generis mixta vita esse dicetur.

Pag. 29. B. Ὅτι μικρόν τι τούτων ἕκαστον παρ' ἡμῶν ἐνεστι καὶ φαῦλον καὶ οὐδαμῆ οὐδαμῶς εἰλικρινές ὄν etc

Stallb. ἕκαστῳ pro ἕκαστον scribi voluit, quod παρ' ἡμῶν offenderet; aliud enim esse, quod deinde sequeretur πῦρ ἐστὶ μὲν πον παρ' ἡμῶν. Nolim tamen ita hunc locum mutari. Nam ἕκαστον subjectum est i. e. unumquodque illorum elementorum (quae paullo

ante commemoraverat) parvum est. Equidem illud παρά ex antecedentibus παρ' ἡμῶν ortum esse putaverim; quo deleto ἔνεστιν ἡμῶν rectissime dictum est.

Pag. 30. B. Οὐ γάρ που δοκοῦμέν γε, ὦ Πρωταρχε, τὰ τέτταρα ἐκεῖνα, πέρας καὶ ἀπειρον καὶ κοινὸν καὶ τὸ τῆς αἰτίας γένος, ἐν ἅπασι τέταρτον ἐνόν, τοῦτο ἐν μὲν τοῖς παρ' ἡμῶν ψυχὴν τε παρέχον καὶ σωμασκήαν ἐμποιοῦν καὶ πταίσαντος σώματος ἰατρικὴν καὶ ἐν ἄλλοις ἄλλα ξυντιθεὲν καὶ ἀκούμενον πᾶσαν καὶ παντοίαν σοφίαν ἐπικαλεῖσθαι.

Quoniam de causae tantum genere sermo sit, ἐπικαλεῖσθαι σοφίαν autem verba non ad quatuor illa genera referri possint, Stallbaum. pro τὰ scribi vult ὄντα. Item Schleiermach. in his verbis offendit. Non puto quidquam mutandum esse. Videtur enim hic grata quaedam orationis negligentia esse, quam apud Platonem in familiari sermone interdum deprehendimus. Τοῦτο autem dicit, quoniam primarium est; spectat enim ad τέταρτον vocabulum. Deinde Stallb. et Schütz. ψυχὴν τε παρέχον καὶ σῶμα καὶ σωμασκήαν legi voluerunt perspicuitatis causa. Sed id ipsum σῶμα vocabulum videtur potius ex σωμασκήαν verbo ortum esse; plane enim supervacaneum est. Quartum enim illud causae genus (τὸν νοῦν dicit p. 30. E.) non corpus praebet, sed animum tantummodo corporisque exercitationem, quae ab animo proficiscitur, qui servandi corporis (gymnastica arte) tuendique (medica arte) viam significat. Hoc modo omnia videntur expedita esse.

Pag. 30. E. Τῇ δέ γε ἐμῇ ζητήσει πεπορικῶς ἀπόκρισιν, ὅτι νοῦς ἐστὶ γενούστης τοῦ πάντων αἰτίου λεχθέντος τῶν τεττάρων, ὧν ἦν ἡμῶν ἐν τοῦτο.

Γενούστης vocabulum quivis, opinor, portentum esse dicat, qui paullo accuratius in Graecae linguae studio versatus fuerit. Nihil tamen codd. suppeditant, ex quo melius quid redundare videatur. Bodlej. tantum γένους τῆς habet. Legitur autem apud omnes veteres Scholiastas et Grammaticos. Cf. Etymol. M. „γενούστης παρά Πλάτωνι ἐν Φιλήρω ἐπὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐννοίας, οἶον ὁ γεννητικός“ Vid. Suid. p. 474, l. Hesych. I, p. 817. Bekk. schol. I, p. 231. Olympiodorus καινοτέραν λέξιν vocat. Ex quibus testimoniis apparet, vitium satis diu inveteratum esse. Non multum tamen auctoritatis istorum testimoniis tribuerim, quos saepe inusitatissima quaeque studiose amplecti videmus. Sed plane

repugnat legibus et usui, ex quo formare Graeci vocabula solent. Quare recte jam Bekkerus atque Schleiermach. γένους τῶν πάντων etc. scripserunt, idque rectissime fecerunt, quum ex scribendi vitio illud vocabulum ortum esse appareat. Et quum sententia loci, hanc scripturam si probamus, recte se habeat, in eo acquiescendum videtur neque amplius quaerendum, quid conjectura assequi liceat. Vid. infra p. 31. A. Νοῦς δήπου, ὃ ἐταῖρε, οὐ μὲν γένους ἐστὶ etc. et deinde: μεμνώμεθα, ὅτι νοῦς μὲν αἰτίας ἦν συγγενῆς καὶ τούτου σχεδὸν τοῦ γένους; quae verba scripturam supra propositam confirmare videntur. Sed in sequentibus verbis Stallb., quoniam Bodlej. et quatuor alii libri ὧν omittant, in aliis etiam ita legatur: λεχθέντος τῶν τετάρων etc., hoc modo legi vult locum: λεχθέντος τῶν τετάρων ἦν etc. omisso ὧν pronomine. Sed non recte hoc fecit. Etenim primum non tam multum in his rebus codicibus tribuerim, quum ὧν facile ab antecedenti syllaba absorberi potuerit. Deinde autem, quae semper apud Platonem quasi fluere videtur oratio, interrumpi ac duram fieri existimo. Rectius igitur ὧν servandum puto.

Pag. 31. B. Δεῖ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο, ἐν ᾧ τέ ἐστὶν ἐκάτερον αὐτῶν καὶ διὰ τί πάθος γίνεσθον, ἰδεῖν ἡμᾶς· πρῶτον τὴν ἡδονήν, ὡςπερ τὸ γένος αὐτῆς πρότερον ἐβασανίσασμεν, οὕτω καὶ ταῦτα πρότερα.

Non accedo Stallbaumii sententiae post ἡδονήν colon ponentis; immo haec uno tenore legenda videntur; quo fit, ut, quoniam membra non distrahuntur, multo facilius sententia orationis intelligatur. Caeterum similem fere huic locum vid. p. 25. D. Sed ταῦτα πρότερα verba non recte neque Ficinus neque Schleiermach. interpretatus est. Neque enim πρότερα prius significat, sed spectat ad haec verba in antecedd: ἐν ᾧ τέ ἐστὶν et διὰ τί πάθος γίνεσθον. Itaque recte se pluralis habet. Cf. p. 37. B. ubi ἀμφοτέρα eodem modo dictum est.

Ibid. D. Λέγω τοίνυν τῆς ἀρμονίας μὲν λυομένης ἡμῖν ἐν τοῖς ζώοις ἅμα λύσιν etc.

Ἡμῖν pronomem hic suspicionem movere Stallbaum. dicit, quum codd. Vat. et Aug. omittant; non recte, opinor. Est enim ἡμῖν dativus quem vocant familiaris, quem saepe in Platonis dialogis reperiri non postest mirum videri.

Pag. 32. A. Δίψος δ' αὖ φθορά καὶ λύπη καὶ λύσις, ἢ δὲ τοῦ ὑγροῦ πάλιν τὸ ξηρανθῆν πληροῦσα δύναμις ἡδονή. διάκρισις δέ γ' αὖ καὶ διάλυσις, ἢ παρὰ φύσιν τοῦ πνίγους πάθη, λύπη.

Non recte Stallb et Schleiermach. καὶ λύσις verba, quoniam ex antecedentibus repetita essent, ab hoc loco removenda esse judicaverunt. Facilius id crederem, si quis καὶ λύπη verba repetita esse censeret, quoniam supra hoc ordine scripta sunt. Poterat fortasse etiam ita Plato scribere: φθορά καὶ λύσις λύπη. Sed nihil opus mutatione est. Curnam enim familiari sermone utentem rhetorice loqui volumus? Consulto videtur λύσις vocabulum postremo commemorasse, quoniam vis in eo est et ex solutione demum φθορά et λύπη consequuntur. Itaque recte etiam inverso ordine haec commemorare licuit. Neque etiam assentior Stallbaumio cum J. G. Schneidero in indice ad Theophr. s. πνίγος v. ἢ παρὰ φύσιν verba ad antecedentia referenti; quod quidem non posse fieri puto. Nam ἢ παρὰ φύσιν τοῦ πνίγους verba accuratius explicant antecedentia διάκρισις δέ γ' αὖ καὶ διάλυσις. Accedit, quod utrumque, διάκρισις καὶ διάλυσις, per se jam ita comparatum est, ut naturae repugnent. Itaque supervacaneum foret hoc addi. Rectius contra ἢ παρὰ φύσιν verba cum illis τοῦ πνίγους πάθη conjungenda esse statuemus hoc sensu: „discretio et solutio, caloris effectus, qui repugnant naturae, molestiam creant.“ Potest enim etiam τοῦ πνίγους πάθη cogitari, quae κατὰ φύσιν sit. Eodem modo paullo post haec dicuntur: καὶ δίψος ἢ μὲν παρὰ φύσιν τοῦ ζώου τῆς ὑγρότητος πῆξις λύπη. Videtur autem id oppositio etiam in seqq κατὰ φύσιν δέ requirere.

Pag 36. A. Μὰ Δί', ἀλλὰ διπλῆ τινὶ λύπη λυπούμενον, κατὰ μὲν τὸ σῶμα ἐν τῷ παθήματι, κατὰ τὴν δὲ ψυχὴν προσδοκίας τινὶ πόθῳ.

Recte h. l. ἐν praepositio, quam Stallb. ejiciendam esse judicat, defendi potest. Dicit enim hoc Plato: si hoc accidit atque corpus in eo statu est. Eodem modo supra ἐν usurpatum est. p. 34. A. Τὸ δὲ ἐν ἐνὶ πάθει τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα κοινῇ γιγνόμενον κοινῇ καὶ κινεῖσθαι. Recteque huc referri possunt duo ex symposio Plat. loci, de quibus paullo dubitare videtur Stallb.

Pag. 181. A. Πᾶσα γὰρ προᾶξις ὧδ' ἔχει· αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς πραττομένη οὔτε καλὴ οὔτε αἰσχρὰ οἷον δ' νῦν ἡμεῖς ποιοῦμεν ἢ πίνειν ἢ ἄδειν ἢ διαλέγεσθαι, οὐκ

ἔστι τούτων αὐτὸ καὶ αὐτὸ καλὸν οὐδέν, ἀλλ' ἐν τῇ πράξει ὡς ἂν πραχθῆ, τοιοῦτον ἀπέβη i. e. nihil pulcrum est nisi in actione i. e. dum agitur vel quatenus agitur. Neque quidquam suspicionis habere videtur praepositio p. 181. C. ἔστι γὰρ ἀπὸ τῆς θεοῦ νεωτέρας τε οὔσης πολὺ ἢ τῆς ἐτέρας, καὶ μετεχούσης ἐν τῇ γενέσει καὶ θήλεος καὶ ἀρσένος i. e. in procreatione sexus utriusque partem accepit eamque nunc habet, uti recte Rückertus explicat.

Pag. 37. B. Τῷ ποτε οὖν δὴ τρόπῳ δόξα ψευδῆς τε καὶ ἀληθῆς ἡμῖν φιλεῖ γίνεσθαι, τὸ δὲ ἡδονῆς μόνον ἀληθές, δοξάζειν δ' ὄντως καὶ χαίρειν ἀμφοτέρα ὁμοίως εἴληθεν;

Τὸ articulum ante δοξάζειν verbum aegre quis desideret, quem excidisse eo probabilius est, quo facilius quis in describendo primam δοξάζειν verbi syllabam in mente habens eum omittere potuit. Σ cod. ap. Bekk. a. p. m. habet recte ἀληθές τὸ δοξάζειν. Neque unquam cum Stallbaumio εἴληχεν scripserim pro εἴληφεν. Recte εἴληχεν dictum est in Rep. X. p. 617 E. Phileb. p. 55. ubi de sorte sermo est. Eodem modo p. 29. E. εἴληφεν dictum est, ubi facile quis εἴληχεν dici exspectet. Hoc tamen loco est accipere, quasi arripere, quemadmodum p. 12. D. dictum est.

Ibid. D. Πάλαι γὰρ εἶπομεν, ὅτι μεγάλαι τε καὶ σμικραὶ καὶ σφόδρα ἐκάτεραι γίνονται.

Καὶ σφόδρα vocabula corrupta esse interpretes suspicati sunt. Quare quoniam σφόδρα non posset adjectivi loco positum esse neque cum γίνεσθαι verbo conjungi liceret, quamquam Astius ad Polit. p. 371 ita statuit, varias protulerunt conjecturas homines docti. Cornarius quidem καὶ σφοδραὶ καὶ ἡσυχαιότεραι conjecit; cui quidem opinioni Stallb. accedit. Poterat ita scribere Plato, quemadmodum p. 52. C. σφοδρὰς ἡδονὰς dicit. Sed recte videtur librorum scriptura defendi posse, nec justo latius nolim conjectandi libidinem vagari. Καὶ σφόδρα enim vocabula idem valent quod et quidem valde, de quo καὶ particulae usu non est quod exempla proferamus. Cf. Abresch lectt. Arist. p. 74. Schäf. ad Long. p. 351. Jacobs. in Athen. p. 15 sqq. Neque vero cum γίνονται conjungenda sunt haec verba, sed cum μεγάλαι et σμικραί. Requiritur enim, ut et valde magnae et valde parvae fieri posse dicantur. Tum ne opus quidem Cornarii conjectura

est. Nam eo ipso, quod *μεγάλαι* et *σικραί* dicuntur, sunt etiam *σφοδραὶ καὶ ἡσυχαιότεραι*. Haec nobis scribentibus in mentem veniunt ea, quae de loco p. 41. E. exposuimus, ex quibus apparet etiam hoc loco *σφοδρα* cum *γίνονται* conjungi posse. Caeterum tenendum est, plures quidem ejusmodi oppositiones uti hoc loco in hoc dialogo inveniri, eas omnes tamen ita comparatas esse, ut, si quae alia addantur, ea aliam plerumque notionem contineant; id quod in hunc locum non cadit.

Pag. 39. A. *Ἡ μνήμη ταῖς αἰσθήσεσι ξυμπιπτούσα εἰς ταῦτόν, κακεῖνα ἃ περὶ ταῦτά ἐστι τὰ παθήματα, φαίνονται μοι σχεδὸν οἷον γράφειν ἡμῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς τότε λόγους· καὶ ὅταν μὲν ἀληθῆ γράψῃ τοῦτο τὸ πάθημα, δόξα τε ἀληθῆς καὶ λόγοι ἀπ' αὐτοῦ ξυμβαίνουσιν ἀληθεῖς ἐν ἡμῖν γιγνόμενοι· ψευδῆ δ' ὅταν ὁ τοιοῦτος παρ' ἡμῶν γραμματεὺς γράψῃ, τάναντία τοῖς ἀληθέσιν ἀπέβη.*

Τοῦτο τὸ πάθημα verba Schleiermach. et Bekk. jungunt cum sequentibus *δόξα τε ἀληθῆς* hoc sensu: tum illud *πάθημα* vera opinio est; quam quidem rationem huic loco non accommodatam esse arbitror. Neque enim ipsum illud *πάθημα* vera sit opinio, sed ex iis, quae illud *πάθημα* animo quasi imprimit, verae oriuntur opiniones. Deinde autem ipsa grammatica loci conformatio indicare videtur *τοῦτο τὸ πάθημα* conjungendum esse cum *γράφῃ*, quam rationem vellem Stallb. etiam posthac tenuisset. Si enim hoc modo voluisset Plato sententiam conformare, ut post *γράφῃ* distingueretur, *τοῦτο τὸ πάθημα* autem ad seqq. pertineret, tum *γράφονται* scripsisset, quemadmodum antea *φαίνονται* dixit. Quod autem nunc *τοῦτο τὸ πάθημα* dicit, tenendum est, comprehendere eum hoc nomine memoriae ac sensuum actionem tanquam unum. Itaque singulari jam utitur, recteque *πάθημα* illud, quoniam sensus animumque afficit, in eoque quaedam imprimit, ex quibus aut vera aut falsa oriuntur, *γράφειν* dici potest, quod sane deinde *γραμματεὺς* vocabulo expressit. Neque quemquam, opinor, hoc dicendi genus offendet, quum antea ipsa *μνήμη, αἰσθήσεις, κακεῖνα ἃ περὶ ταῦτά ἐστι παθήματα, γράφειν* dicantur. Sed quae statim sequuntur

Ibid. B. *Ζωγράφον, ὃς μετὰ τὸν γραμματιστὴν τῶν λεγομένων εἰκόνας ἐν τῇ ψυχῇ τούτων γράφει,*

ea in vitii suspicionem vocaverunt homines docti. Dubitari enim potest, quorsum spectet et *λεγομένων* et

τούτων Schleiermacherus τούτων putat ad eos pertinere, in quorum animis imagines procreentur; quae ratio permira videtur esse, quum antea praeter ἡμῶν vocabulum nihil commemoratum sit, ad quod τούτων pertineat. Sed tantum abest, ut vitio hic locus laborare videatur ut rectissime se omnia habere videantur, modo τῶν λεγομένων τούτων de iis intelligamus, quae antea dicta, commemorata sunt. Neque etiam assentiendum puto Stallbaumio haec verba cum γραμματιστήν vocabulo conjungenti: facile enim iis quae sequuntur hoc refutari posse existimo litt. C. τὰς τῶν δοξασθέντων καὶ λεχθέντων εἰκόνας ἐν αὐτῷ ὄρῳ πως.

Pag. 40. A. Καὶ δὴ καὶ τὰ φαντάσματα ἐξωγραφημένα - - - καθορᾷ.

Non recte fecit Stallb., quod τὰ articulum deleri voluit. Loquitur enim Plato de certis illis imaginibus, quae antea commemoratae sunt. In seqq. deinde sine dubio probanda est opt. cod. Bodlej. et Π. et Δ. apud Bekk. scriptura ἐνεξωγραφημένον pro ἐξωγραφημένον, quae huic loco quam maxime accommodata est.

Pag. 40. E. Τί δέ; πονηρὰς δόξας καὶ χρηστὰς ἄλλως ἢ ψευδεῖς γιγνομένας ἔχομεν εἰπεῖν;

